




colorchecker CLASSIC



x-rite




755



10634.

9083

Table des matieres ^{XVeme} Interieure ²⁴⁹ 755.
en ce volume

- 1^o Joannis Diophilacii christomachia page 1.
- 2^o Macarii & Nutius de triumpho christi.
Matthaei Bossi de passione christi sermo.
page 66.
- 3^o Triumphus christi carmine descriptus per
Macarium & Nutium page 90.
- 4^o Sapia Jesu christi a Dominico Mancino
carmine descripta page 98.
- 5^o Baptista Marchio historia fletiva crucis
Jesu christi page 132.
- 6^o Jesuida Hieronymi Siduan  ad Petrum Do-
natum page 149.
- 7^o Janus Scivicus & Proterus de Gestis, histo-
ria Passionis Jesu christi page 164.
- 8^o Petrus Gellius de morte Jesu christi ad vi-
tam revocati ^{5c} carmen. page 168.
- 9^o Sixe Musae quae serales Majoris hebdo-
madae dies exercitatio page 172.
- 10^o Incornenza la passione di christo histori-
ata in rima vulgare page 182.

- 11^o Joannis Ludovici Vivis opuscula duo
Christi Triumphus. et Maria
Parvitas eius oratio page 196.
- 12^o Discorso del N. Gioseffo Carlino da
Chioggia &c. page 210
- 13 Discorso fatto dal Alessio Porri sopra
i miravigliosi esequi e miraculosi prodigi nella
morte di ex. Signore page 246

HISTORIA

PASSIONIS DQ

MINI ET REDEMPTO-

RIS NOSTRI IESV

Christi.

TETRASTICHIS BREVISSIME

descripta, &c

SINGVLIS IMAGINIBVS, QVAS IN

Templis plerumque, aliisq; interdum sacris locis memoriae

& deuotionis ergo pingere consueuimus, singula

Tetraistica essent accommodata.

Consecrata

ILLVSTRI ET GENEROSO HE

ROI AC DOMINO, D. MARCO FVGGERO,

Iuniori, Libero Baroni Kirchbergensi & VVeif-

senhorniensi, &c. Sacrae Caesareae Maiesta-

tis Consiliario, & Imperialis Camerae a-

pud Spiræses Praesidi dignissimo, Do-

mino suo clementissimo, & Mu-

sarum Meccæ nati longè opti-

mo. Autore

Iano Heinrico Scrötero De Güstrov

Megapolitano, Equite, & P.L.

Caesaro.





ILLVSRRI ET GENE.

ROSO HEROI AC DOMINO,
D. MARCO FVGGERO, IVNIORI,
*Libero Baroni Kirchbergensi & VVeissenhorniensi,
&c. Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliario, & Imperialis Camerae apud Spirenses Praesidi dignissimo,
Domino suo clementissimo, & Musarum
Mecanati longè optimo.*

Autor

S. P. P.

QVANDO tuæ gentis merita in me voluo reuoluo,
Quæ semper memori mente repostagero;
CÆSARÆ PRÆSES CAMERÆ venerande,
BARONVM

Lumen, FVGGARICÆ gloria, MARCE, domus;
Hæc toties promo latanti pectore verba:
Hos mihi patronos Sors Deus ipse dedit:
Namq; TVI illustris mihi plura fauore PARENTIS,
Pluraq; CHRISOPHORI FRATRIS amore tui,
(Vt raceã PATRVOS, MARCVM, illustremq; IACOBVM)
Præstita, quam quæ nunc voce referre queo.
Ne videant igitur malegratum secla Scrõterum,
Hæc tibi nunc animi dedico signa mei.
Nec dubito, cum sis Christo Mufisque dicatus,
Quin tibi vel magni muneris instar erunt.
Celsitudini tuæ

Additissimus Clientulus

Ianus Henricus Scrõterus De Gustrovv
Megapolitanus, Eques, & P.L. Cæsareus.

IN



S IN IMAGINEM CHRISTI ANNUNTIANS DISCIPULIS SUPPLICIUM SUUM & MORTEM.

BISSENS Dominus sua fata recenset alumnis,
Dum carpunt sociam nescia turba viam.
Sed, ceu discipulos, sic nos tua funera turbant,
Flamine ni dubios nos pie Christe iuuas.

In imaginem Christi Bethania à muliere oleo pretiosissimo unctis

Bethanię visum mulier per tempora succis
Imbuit, ac liquido spargit odore Deum.
Nos quoque, quis te, Christe, haud videamus, amoris
Vngamus viuo fac tua membra oleo.

In imaginem Christi resuscitantis Lazarum à mortuis.

Lazarus ad vitam Christo mandante resurgit,
Quem modo per quatuor texerat vna dies:
Et quis adhuc dubitet, Christum sobolem esse Tonantis,
Cum stet in illius vitaque Morsque manu?

In imaginem Christi a sino Solymas ingredientis.

Maximus en Regum Rex ad te vectus a fello
Mansuetus nimium, Virgo Siona, venit;
Infantum excipitur fremitu plausuque Secundo;
Inter humum & Cælum sic Mediator ouat.

In imagine Christi instituentis Sacram Eucharistiam in vltima cœna.

Discipulis offers hae cœna corpus in escam,
Sanguine commiscens pocula læta tuo,
Æternum vt viuant omnes: O mira potestas:
Nos quoque Christe tuo corpore pasce Deus.

In imaginem Christi lauantis pedes Apostolorum

Crura lauas comitum, Christe optime maxime, & illa
Exsiccas lino quod tua dextra tenet.

Eia vt fecisti, sic nos, vbicunque necesse est,
Fac durum alterius subleuet alter onus.

*In imaginem Pontificum de capiendo Christo
deliberantium.*

Hic Proceres, pulcris cum Christus plurima signis,
Plurimaque ingenti dexteritate facit,
Innocuum vt perdant, consultant. Ah scelus alto
Imperio fruitur: iustus vbique iacet.

*In imaginem Caipha summi Pontificis de
Christo vaticinantis.*

Pro multis vnus detur, Caipha impie, dicis;
Non tamen ipse quid hinc vaticinere vides:
Nempe quod innocuus sædo pro crimine Mundi
Immensi Christus iam moriturus erat.

In imaginem Iuda vendentis Christum.

Cæcus amore auri, lucrique cupidine Iudas
Commotus, Dominum vendidit ære suum.
Vt tete solum redamemus, pectore nostro
Turpis Auaritiæ pellito, Christe, malum.

*In imaginem Christi implorantis patrem &
auferatur calix*

Procidit in faciem, Patremq; implorat Iesus,
Vt Gnatum pœnis eripuisse velit,
Si visum fuerit. Quo nos docet, omnia nostra
Facta voluntati subiicienda Patris.

In imaginem discipulorum dormientium:

Cernitis in medio, socij, discrimine Christum;
Vestra tamen somnus membra profundus habet.
Spiritus ah nimium viridis, quam promptus ad altum
Fers iter? at nescit te Caro tarda sequi.

*In imaginem Christi sudantis guttas
sanguineas.*

Decidit hinc Christi ruptus de corpore sudor
Æthereo, & rosei sanguinis instar abit,

Ob facinus nostrum: O miseratio maxima Christi:
Fac quoque nos propter te mala quæque pati.

In imaginem Iuda tradentis Christum osculo.

Ante sed vt caperis, quem non capit ardua Mundi
Machina, dat Iudas oscula Christe tibi.
Hei mihi, quot post te nobis Iuda impie alumnos
Linquis? at hos tecum tartara nigra manent.

In imaginem Petri amputantis Malcho aurem.

Ense suo Petrus Malcho cum demetit aurem,
Vagina chalybem condere Christe iubes;
Scilicet vt doceas gladio non Martis, at armis
Doctrinæ, famulis bella gerenda tuis.

*In imaginem Christi ad Annam & Caipham ducti, ab illis
dânnati, & à Petro abnegati.*

Traditur hic Annæ Christus, qui multa rogatum
Ad soceri mittit splendida tecta gener;
Dumq; omnes damnant Christû, Petrus abnegat ipsum
Ter. Quantum ô tota est noscere mente Deum.

In imaginem Christi illusi, percussu, & blasphemati à militibus

Vndique quid captum vexas miles impie Christum,
Eius & inuisas tundis in ora manus,
Autorem quærens? Tua sint homini inscia facta,
Anne putas eadem posse latere Deum?

*In imaginem Christi ad Psilatum ducti & à Iudæis
falso accusati:*

Hic proceres Christum imbellem grauterque ligatum
Præsidis ad culmen iudiciale trahunt,
Pacis vbi placida Dominum atræ seditionis
Et varij accusant criminis esse reum.

In imaginem Christi ad Regem Herodem ducti.

Prætor Idumæo Captum transmittit Herodi,
Qui magna à Christo signa videnda putat.

Falleris ah demens Rex spe lactatus inani;
Non sua cuique Deus signa stupenda facit:

In imaginem Christi reducti ad Pilatum

A Christo quoniam Vulpi sperata negantur,
Stulti loquo abiectum despicit ore Ducem;
Indutumque alba transmittit veste Pilato;
Sic iterum vulpes & Leo fœdus agunt.

*In imaginem Pilati Christum lotis manibus
damnantiæ.*

Vt populo placeat, Iustum condemnat Iesum,
Dira lauans promptas Prætor ad ausa manus.
O fas, ô sacrum Ius, quam te nunc quoque raro
Syncerus nostro Prætor in orbe colit.

In imaginem Iude seipsum suspendentiæ

Proditor vt Iudas damnatum cernit Iesum,
Morte fera infami de trabe nexus obit,
Viscera disruptus spargens. Hic cernito, Auare;
Talia fata solent talia facta sequi.

In imaginem Christi Virgis casti

Cernis vt hic virgis cædat Christum acribus hostis;
Sanguinis vt guttas terra cruenta bibat?
Hic est ille cruor polluti Pharmacon orbis,
Quo nobis parta est gratia, vita, salus.

In imaginem Christi spineis fertis Coronati.

Huc, ô, quos fastus, quos vana Superbia vexat,
Este, & mansuetum respicite Deum.
Hei mihi, Rex Regum summus (sed quis sine largis
Hec referet lacrymis?) spinea ferta gerit.

In imaginem Christi à Pilato Iudæis ostensi.

Pontius hic Christum furiosis monstrat Ebræis,
Ac alta Prætor talia voce refert.

Cernite

Cernite qualis homo. Sed nec tam tristis imago,
O furor, ô rabies, liuida corda mouet.

In imaginem Christi portantis Crucem.

Iamq; oneri Crucis infandæ succedis Iësu;
Cum cruce fers dorso crimina nostra tuo.
Quas tibi quas tanto dabimus pro munere grates;
An quoque te propter nos labor iste grauet?

In imaginem Christi cruci affixi.

Impie quid Christum palmasque pedesque terebra
Transfossium in lignum more latronis agis?
En adsum, mala qui feci; in me figito clauos;
Nil ausus Deus est nec potis ipse mali.

In imaginem Christi è cruce pendentis.

Aspice pendentem sacro de stipite Christum,
A quo nostra salus non aliunde venit:
Aspice defunctum vitæque necisque potentem,
Aspice; Disce piè viuere; disce mori.

In imaginem Christi à cruce refixi.

De uexo postquam se condere vellent Olympo
Tardus in hesperias Phœbus iturus aquas,
A cruce defunctum corpus iam tollitur. Euge
Cruis tua, Christe, salus, Mors tua vita mea est.

In imaginem Christi in sepulchrum positi.

Impavidus stupidum Prætorem accedit Iôseph,
Et mercata leui sindone membra tegit.
Vulnera per tua te rogo Mundi magne Redemptor,
Nunc rediuue animo condere Christe meo.

*In imaginem Christi descendenti ad
limbum patrum.*

Mortuus ad sedes Orci descendit Iësus,
Victor vt ex Erebi carcere ducat auos.

Ne patiare, precor, quos ad tua regna vocasti,
In stygias iterum Criste redire domos.

In imaginem Christi resurgentis à mortuis

Vicitio Leo magnanimi de sanguine Iude,
Vicit, & à tristi Morte superstes adest.
Nunc ybi vis Sathane? nunc teli ybi Mortis imago?
Te Duce, Christe, Erebi mœnia fracta iacent,

AVTORIS CONCLUSIO.

Sint igitur Christo grates, qui sanguine nobis
Lœniit iratum victima grata patrem.
Currite mortales, ad vulnera currite Christi,
Huius in amplexus quisque paratus eat;
Hunc optate Ducem vobis; hunc noscite Regem:
Huic date victori iubila grata Deo:
Hic etenim laceros pro nobis detegit artus;
Hic sceleri requiem dat veniamque malis.
Salve Christe Dei soboles rediuiue Redemptor,
Qui dorso imponis crimina nostra tuo.
Quas tibi pro meritis grates, quæ præmia reddam?
Qua tollam nomen voce sub orbe tuum?
Eia age me propius, propius me respice vatem,
Vt tibi in hoc Mundo Carmina grata canam,
Summa dies donec me sub tua tecta reducat,
Detque tuo alloquio liberiore frui.

FINIS.

